



1042

1042  
qu



Auspice Christo.

*Nobilissima atq; Gratiōsissima*

585

FACULTATIS MEDICÆ  
DECRETO  
DISPUTATIONEM INAUGURALEM,  
**EROTOMANIAÆ**

*Seu*

AMORIS INSANI.  
THEORIAM & PRAXIN

pertractantem,

SUB PRÆSIDIO

*VIRI NOBILISSIMI AMPLISSIMI atq; EXPERIENTISSIMI*

**DNI. JEREMIAE LOSSII,**

Phil. & Med. D. ut & Anatom. & Botan. Prof. Publ.

in hac Academia longè celeberrimi, Medici Pro-  
vincialis felicissimi,

*Domini, Patroni, ac Praeceptoris sui submissè devenerandi,  
ateternumq; sanctè amandi,*

PRO

LICENTIA

assumendi Doctoratus Gradum & Privilegia Medica  
Publicæ Medicorum censuræ submittit

**M. THEODORUS KUNADUS,**

GRIMMENSIS.

IN AUDITORIO MAJORI,

Horis ante & pomeridianis,

*Ad diem Maji Anno MDC LXXXI.*

WITTEBERGÆ, Literis JOHANNIS SIGISMUNDI Ziegenbeins.





586

FACULTATIS MEDICAE  
DISSENTATIONEM  
EROTOMANNE

AMORIS IN SANI  
THEORIAM PRAXIN

DNI FERDINANDI LOSSI

LICENTIA  
Alumendi Doctorum Gradus et Præcipue Medicæ  
Publicæ Medicinæ in Reipublicæ

M. THEODORUS LUNDAVIS







587.

I. N. J.

**S**I Pictoribus aut Statuariis effigies Amoris vesani delineanda traditur, placet ipsis forma nudi cujusdam pueri, obvelatis oculis, sagittis alisque ardentibus, ad denotandam stupendam Affectus hujus vim atque vehementiam, qui homines merè reddat pueriles, ut absque honestatis tegumento nudi, cæciqve laudatissimam mediocritatis orbitam non attingant, & instar volucrum sint mutabiles, instabiles, ac tandem curâ exardescant incessabili erga id, quod cupiunt. Nee facile invenimus, quâ amor hic melius vivis quasi coloribus depingi potuisset. Nam quid non mortalia pectora cogit cæcus amor? Galeni, Sacræ nostræ Medicinæ Coryphæi, hac de re expectemus judicium? tale lib. de cognosc: & cur. anim. aff. p. 422. percipimus, quod videlicet hominem, non eqvo vel cani, disciplinæ capacibus, sed vel petulanti apro, vel cuipiam, agresti beluæ, quæ mansvescieri nequeat, faciat simillimum. Exterorum bene constituta Xenodochia luculentis nostri etiamnum seculi exemplis satis id ipsum comprobare possunt. Quæ causa fuit, quare notabilem hunc Affectum civitate morborum insanabilium ditare & dotare non nulli Practicorum voluerint, & exinde ei soli omnia, quæ cæteris singulatim, plenarie inesse eum Comico fateri ausi sint. Hæc dum altiore cogitatione, voveremus, movit nos Affectus hujus ferocia, ut loco *inauguralis speciminis* Erotomaniam hanc pertractare sustinuerimus. Nulli quidem dubitamus, quin alias easque, uti nobilissimas, ita utilissimas materias Medicorum libri passim suppeditare valuissent. Quid enim conduxisset Quartanam studiose examinasse, multis enarrare supersedemus. Nephriticos aut Hydropicos consulimus? Illos de calculo conterendo, hos verò d aquâ



citò si fat tutò educenda ingementes audimus. Et quid Ar-  
 thritici respondebunt tandem? horum exquisitus dolor non,  
 uni quandoque inhaeret parti, sed furens vagatur per membra.  
 Quinimò quorundam morborum immanitas ægrotos tanto di-  
 vexat opere, ut ad insaniam redacti ad ἀποχρησίαν ( horrendam  
 auditu ) tanquam ad certam salutis anchoram confugiant. Ta-  
 les tantasque affectuum materias rimari pulchrum fuisset! Ve-  
 rum tantum abest, ut hoc ipsum malum, cujus ægritudines sem-  
 per arduæ intricatæque cognitionis habitæ fuerunt, prioribus  
 ad latum ungvem cedat, ut potius palmam dubiam efficiat, ean-  
 demque multis parasangis post se relinquat. Hinc neminem  
 tanta iudicii inopia laborare arbitramur, qui tractationem hanc  
 vitio vertere velit, licet non omnibus ingeniis diversorum stu-  
 diorum atque occupationum generibus addictis placere queat.  
 Ἐργασίην ἐν μεγάλοις πᾶσιν ἀδεῖν χαλεπὸν, inquit cum De-  
 mosthene Solon. Multo minus quæquam fore credamus, qui  
 hoc tempore opus omnibus numeris absolutum à nobis postu-  
 let. Stet itaque sententia Affectum hunc amoris insani pro in-  
 genii viribus examinare, examinatumque curare quantum pos-  
 sibile. Veniam tamen B. L. dabit, si ipsius curiosam expectatio-  
 nem non ex asse adimplebimus. Si & nobis existat doctior,  
 discipulos & imitatores, sin rudior, Magistros habeat, qui sani-  
 tatem proximi promovendi studio suscepimus. Ut ergo cun-  
 cta in θεοφιλιανθρωπίαν succedant,

*Deus, Deus Optime captis  
 Annue, fac dextro claudantur ut oscine capta.  
 Caput I. Nomen Erotomania explicat.*

§. I.

**N**ominis notitiam nos in ipsius rei cognitionem deducere,  
 cum Philosophiæ consultis tum ipsis Medicis, ratum est  
 atque firmum, unde nec nos illam insuper habituri sumus, bre-  
 vibus considerantes ejusdem ὀνομασολογίαν, ut eo faciliorem  
 viam nobis ad πραγματολογίαν præparemus.

§. 2. Ἐτυμολογία itaque dicit Ἐρωτομανίαν ὑπὸ τῷ  
 ἔρωτι quod pro amore seu desiderio quo alium prosequimur,  
 sumitur, uti Lucianus ὁ τῶν καλῶν ἔρωσ de amore puellarum  
 formio-





589  
formosiorum usurpat, & ἀπὸ τῆς μανίας, quod furorem vel insaniam denotat. Missis variorum Autorum hoc de vocabulo derivationibus & allusionibus, nullam litem hic movebimus, an nimirum à Manibus Diis Infernalibus ob Dæmoniacas quasi maniacorum noctu diuque perdurantes actiones descendat, uti Varro l. 2. de anal. c. 2. voluit, an à Mane, Rege quodam incredibilis Virtutis atque potentiae, an vero, quoniam Græca vox est, ἀπὸ τῆς μαντείας, quod vaticinati sint simul maniaci, quamvis hoc non nisi in Dæmoniacâ mania, ubi Diabolus concurrat, & obsidet homines, contingat, vel ἀπὸ τῆς μήνης à Luna, quod ista suis motibus affectum hunc exacerbet, vel quod Diana, Lunæ olim Præses irreligiosis maniam induxerit Isidorus l. 4. orig. c. 7. vel denique ἀπὸ τῆς μανῆ quod laxum atque rarum sit, ut ita mens in hoc affectu ultra modum laxetur, proveniat, sed amplectimur eam, quæ ad naturam & essentiam huius mali, consequentia & adjuncta propius accedit, eademque intimius explicat & ἀπὸ τῆς μανίης quod furere seu insanire est, derivatur. Plura desiderantem ablegamus ad Becman. lib. de Origin. latinæ lingv. aliosque eruditos Lexicographos Græcos.

§. 3. Συνομιάν quod concernit, Arabes ILISCHI appellant, quod effrœnum atque deperditum amorem indicat. Vid. Lexicon Medico Græco Latinum Castelli. Græcorum per ora volitat vocabulum ἔρως & indigitat delirium istud, quod ex vitioso amore provenire solet, Vid. Mœb. in Inst. de Sympt. Facult. Ration. item εἰσρησις, quâ præprimis insani mulierum amores explicantur, quibus aliquis velut œstro ad eas amandas impellitur, Refer. Gvillh. Leimario ex Suida. Item ἀκολασία, ἐπιθυμία, ἀφροδισία. Intemperantiæ circa res Venereas. Quæ vocabula autem generaliora sunt, aliisque mentis depravationibus interdum attribui solent. Græci quoque concitationem hanc Veneream significaturi, σατύριον appellaverunt, teste Plinio l. 26. c. 10. hœcque laborantes malô Apulejus lib. 10. ex ungvibus perpruriscientes vocavit, quod in toto corpore pruriant, tentigine Venerisque appetentia concitentur, & vel extremis corporis partibus, & rigentibus ungvibus extimulentur.



tur in Venerem. Omnium optimè hic Affectus Græcis exprimitur per vocabulum *Ἐρωτομανία*, quæ speciatim Insanum Amorem, quo quis affectus est, elegantissimè designat.

§. 4. Latini suo idiomate uno vocabulo reddere non possunt. Nunc salutatur à Cicerone, furor amoris, nunc amor libidinosus lib. 5. Tus. qv. Nunc audit Medicis amor insanus, uti Celeberrimus Dominus D. Sennertus in Inst. l. 2. part. 3. §. 2. c. 4. & Magnif. Dominus D. Schneiderus noster olim Præceptor æstumatissimus, *ἄνθρωπος ἐν ἀγνοίᾳ*, in prælectionibus publicis de Mania vocitare solitus est. Thom. Willisus nominavit, Melancholiam Amorosam. Horstius Compend. Inst. Med. disp. 10. habet furorem amatorium, aliis dicitur rabies vaga. Galeni Epitome lib. de cur. anim. aff. dicit cupiditatem, amorem vehementem. Paul de Sorbait in Operibus Univers Med. Pract. c. 75. appellat amorem eroticum, quasi dicas amorem amatorium, more ferè Hebræorum, qui, rem gravem, atque emphaticam notaturi, idem Substantivum bis repetunt. Vid. Philol. sacra Glasii lib. 3. tr. 1. de nomine §. 17. can. 5. Rodiricus à Castro l. 2. de morb. mulier. nominat ardorem amatorium. Bernh. Gordon. de Pass. cap. part. 11. minus latine appellatur Hereos, quia hereosin & nobiles propter affluentiam deliciarum istam passionem incurrere consueverint, aliis dicitur cupiditas effrœnata, libido valida, prodigiosus libidinis pruritus, Venus inexplebilis, extrema Veneris appetentia, desiderium Veneris extraordinarium, amor exuberans, infrunitus, protervus, deperditus. Galli Une folle amour loqvutur. Germani dicunt die unnatürliche Liebe/ die häßtige Liebes Brunst/ wen einer vor Liebe gar unsinnig/doll und thörigt wird. Belgi voer Liebde onsinig/sottelyck doen. Et quæ aliæ pro ratione unius cujusque Dialecti atqve Regionis habentur appellationes.

§. 5. Sed ne brevitati gratæ studentes, magis obscuri fiamus quàm evidentes, pauca quoqve de *ἑρωτομανία* annectamus. Latè affectus hic iis attribui solet, qui aliquando ob jocum vel aliorum aliarumve sententiam explorandam, vel aliam apparentem



59a.  
rentem causam philocapti existunt, & ita, ratione non nihil possunt  
habitâ, honestatis atque virtutis leges violant, amentes tñ. reve-  
ra dici nequeunt. Stricte sumitur pro amore qui cum delirio  
& furore est combinatus, vel ob absentiam personæ adamatæ,  
vel quod eâdem fruisi pro lubitu non liceat. Et in hoc sensu  
etiam nos usurpamus vocabulum hujus affectus, de quo in se-  
quentibus pluribus prosequi est animus.

## Caput II. Definitionem continet.

§. 1. Nominis evolutione absoluta ipsam Definitio-  
nem, aut si vis potius Descriptionem subnectamus, ut morbofi  
hujus status genuina patefiat conditio. Dicimus igitur Erotoma-  
niam, quod sit delirium ex amore sine febre cum furore, gau-  
dio, ira atque tristitia, ortum trahens, à peculiari Spirituum,  
animalium, igneam quasi naturam induentium, in cerebro di-  
spostione.

§. 2. Multas multorum Definitiones hic colligere quid  
refert? Descriptionem potius paulo accuratius examinabimus.  
Delirium definimus, quo loco operæ pretium ducimus, ut præ-  
primis ea, quæ id ipsum constituunt, excutiantur. Occurrit  
hic Imaginatio, vid. Gal. de Sympt. diff. c. 3. non in statu suo  
naturali constituta, sed turbata, læsa, depravata. Hæc uti ta-  
lium sæpe sibi fingit similitudines, quæ revera non existunt, ita  
hic quoque otiosa esse non vult, ut scilicet res aliàs bonas dicat  
pravas, utiles doceat fugiendas, deformes ducat amplectendas,  
odiosas, amandas & vice versa, juxta has pro ejusmodi vitioso  
conceptu constanter agit, imaginatur, versatur, conjecturat,  
appetit, rebusque modò aliquid addit, modò demit, & sic τῆς  
ἐπατέως φάντασμα in purum transit ἐνφαντασιωτόν uti Sui-  
das loquitur, quo sensu homo stolidus φαντασικός communi-  
ter vocari solet, ad quod postmodum facili saltu appetitionem  
accedere subtilis Scaliger in Exer: ad Card. c. 76. dicit. Cum  
enim per eandem imaginationem teste Quintiliano l. 7. c. 6. ima-  
gines rerum absentium animo ita repræsententur, ut eas oculis  
cernere ac præsentibus habere videamur, nullum plane erit αἰδύ-  
νατον, quin excitetur illius cupido & appetitus, qui modò di-  
cto Scaligero affectus habendi existit. Siquæ rei cognitæ spe-  
cies



592

cies abeat ab imaginatione, non fiet appetentia. Ignoti nulla cupido. Tanta autem in amore infano reperitur depravatio, ut quod ab alio laudatur, ejusmodi ægro culpetur, quæ uni deformis, ipsi videatur formosissima, & quis omnes ejusdem errores enarrando tempus & paginas perdere cupit? Tot enim Erotomaniacorum sunt deliria, quot dormientium somnia, & facilius, reor, Herculi clavam extorseris, quàm illos ab infaniâ illâ averteris.

§. 3. Sed nec solam imaginationem intelligimus depravatam, verum quoque ipsam ratiocinationem, ut, dato uno inconvenienti, mox plura subsequantur. Illâ enim vitiose segerente, species intelligibiles male dijudicantur, depromuntur, exercentur, ut hac ratione affecti nihil non homine indignum patrare audeant, optimumque *κρείττερον & λογικόν*, quo uno à cæteris, animalibus secernitur homo, amisisse, *τὸ δὲ θηριώδες τὴ καὶ ἀγρίον* uti Plato 9. Polit: loquitur, brutalitatem & agrestem immanitatem induisse dicas. Quamobrem deliria illa Sennert. in Inst. *θηριώδη* nominare libuit. Id quod Poëtæ olim in fabula de Ulyssis sociis annuere voluerunt, quos Veneficæ Circes speluncam introeuntes in spurcissima bruta & porcos mutatos finxerunt, Hesiod. in Theogn.

§. 4. Memoria tandem læsio in totum abnegari nequit, quamvis non tantam statuamus, quantam quidem duæ priores secum vehunt. Utut enim carmina amatoria & cantilenas obscœnas cantitent, blaterent, aliarumque actionum castis auribus inimicarum sive à semetipsis sive ab aliis perpetratarum recordentur, illa tn. recordatio, manca plane est, inconcinna, mutila, absurda. Multitudo objectorum sensus huc illucque moventium, vim reminiscendi obfuscet, debilitat, dissipat, ut hisce omnibus recte imprimendis reddatur impotens, veluti in aquâ commotâ, aut nulla effigies redditur, quæ appareat, aut redditur obscura & flexuosa, in immotâ autem aquâ nativa rei imago apparet, ita quoque cum delirantibus sese res habet; uti Arist. lib. de insom. c. 3. loquitur. Et sanis interdum obtingit, dum in re aliquâ occupati ab objecto aliquo fortuito revocati reliquam narrationis telam pertexere oblivescuntur. Vid. Schenk.





Schenk. Inst. art. 4. de caus. Sympt. intern. Cave tn. quæ ex ac-  
cidente fiunt, per se fieri accipias. Vid. Sennert. lib. 1. p. 3.

593  
§. 5. Ad ulteriorem datæ Definitionis explanationem,  
nunc accingimur, quâ hoc delirium ex amore dicitur, & tam na-  
turalis quàm causalis, quæ inter amantem & amatorem non ra-  
ro distinguit, inclinatio in rem Veneream vitiosam intelligitur,  
quæ corpus, animæ domicilium, graviter alterat, infestatque &  
mentem à recta lira, sulco, seu via declinare, & delirare facit, ut  
is rationem cupiditatibus dominantem non amplius obtineat,  
fiatque ἀφρων, ἀσύνετος, ἀνόητος impos. Seneca ingeniosus  
de amore formæ ita pronunciavit, quòd sit rationis oblivio, &  
insaniæ proximus, turbet consilia, altos & generosos Spiritus  
frangat, à magnis cogitationibus ad humillimas detrudat. He-  
cuba Euripidis de hac re tale fert Epiphonema, ἀφροδίτη ἀ-  
φροσύνης ἀρχὴ θεὰ, Venus insipientiæ princeps Dea, id quod lon-  
ge alienum ab honesto atque probando amore esse, ex disserta-  
tione Medicæ Gr. Horstii de Natura Amoris patet, quem huc  
transferre liceat: Est autem, inquit, quando quis formam hu-  
manæ speciei pulchram ita concipit, ut in eâ & per eam excel-  
lentiorē pulchrioremque mentis ac DEI Creatoris speciem,  
admiretur, ejusdemque complexum non aliter quàm secundum  
naturæ legem & honestatis atque pietatis præcepta, pro adjuto-  
rio vitæ præsentis calamitosæ, & vindicandâ ab interitu morta-  
litate, per speciei propagationem, exoptet atque postulet,

§. 6. Qui doctrinâ de Ideis delectantur, rem explicant, in geni-  
osè, quomodo ex Amore nimio fiat Erotomania. Putant enim o-  
mnem Maniam, & sic etiam Erotomaniam ab Ideis, fortiter Phan-  
tasie impressis, oriri. Dum n. semper Amantes cogitant de Ob-  
jecto nocte diuque quod amant, atque modò spe, mox desperatio-  
ne, modò amore, modò irâ & indignatione, modò gaudio, modò  
tristitiâ vexantur, tot & tam diversæ prorsusque contrariæ cogi-  
tationes seu, ut loquuntur, Ideæ imprimuntur Phantasie, quæ  
eandem turbant, ipsamque Ratiocinationem pervertunt. Præ-  
sertim dum ideæ istæ firmiter in hærent memoriæ, & quovis fe-  
rè momento offeruntur Phantasie, ut perpetuâ istarum Idea-  
rum contemplatione occupata, solùm rebus amatoriis attendat,  
B reliquas



reliquas autem actiones velut in somno peragat, perversè & inordinatè. Id quod in iis potissimum contingit, quorum Phantasia aliàs facilè perturbatur ab objectis, vel qui intenti in rem, quendam Ideas firmiter retinent, vel etiam abutuntur Phantasia viribus, unde excellentes artifices plerumque phantastici fiunt, monente Platero, id quod eò magis contingit, si Spiritus sunt igneæ naturæ. Res confirmari posset sequenti. Novit Excell. Dominus D. Præses clinicum quendam, qui, quod semper ex opposito axioma quoddam parieti inscriptum obversaret oculis, ita indignabundus perturbabatur animo, ut metuens de delirium, lectum mutare fuerit coactus, adeò afficiunt phantasia Idea rerum operatrices. De quâ materiâ videatur Joh. Marcus Marci. Aliter tamen ad mentem nostratium vide modum explicatum cap. IV, de caus.

§. 7. Sine febre adjecimus. Facile quidem fieri potest, ut febris continua vel intermittens ex accidenti superveniat, sed non ab eadem causa productiva, quæ naturam genium & indolem Erotomania constituit, quemadmodum in Phrenitide, ejus σημεῖον παθογυαμονικόν judicatur febris. Conf. Senn. l. e. Galen. de loc. aff. 4.

§. 8. Furorem tamen hic concurrere, Sole meridiano clarius est. Hæc notâ à tristi discernitur delirio, quod Melancholiam vocamus, & res pro se ipsa loquitur. Sæviunt in alios ceu indomitabiles & hinnientes equi & cervi, quorum membra ex appetitu Venereo accensa sunt, & natura laborat ad expellendum superflua, quæ in sensu disponunt ad iram & ad furorem, uti Aristoteles in Probl. de Coitu explicat. talisq; recte λάτρευε πρὸς πορνείαν ὑπὸ βίῳ. Svetonio & Aristoteli nuncupatur, qui ad Venerem quasi prærabidus amore debachatur, & ad coitum quosque gestibus verbis & verberibus invitatur. Et ubi ejusmodi depravationum adsunt testimonia, ibi, saniorum iudicio & experienciâ teste, Ciceronianum πρὸς πονὶν vix ac ne vix quidem locum invenire poterit, sed floret tunc Cycloperum Respublica, ubi ἄδεις ἄδεις ἀνδρα Hom. od. 9. Fertur equis auriga, nec audit currus habenas, seu, ut idem Poëta Virgil. l. 4. Æneid. in persona Didonis canit: Uritur infelix Dido totaq; vagatur urbe furens. Verùm longe majus est, quòd nimio



595.

miō istō amoris cestrō conciti, sibi metipsis scēpē cruentas manus injiciant, seq; modō cum eqvo admotis calcaribus in profundissima flumina præcipitantes suffocent, modō per ignem, cladium & id genus aliis terminum vitæ sibi accelerent exitialem. Historiæ ex Foresto lib. obs. 29. Schenkio lib. 1. Rolfinco. l. 2. cas. 9. aliq; testari possunt. His sanè miserâ cæde parentat desperatio. Gaudium, sive lætitiā Erotomaniacis accidere, indicat spes, qvam de re amata consequendâ firmiter concipiunt, ubi & multa præter decorum agunt & loqvuntur, animusq; & gestibus & vultu lætitiæ signa prodit. Nunc vero tristitia & ira suboritur, quando scilicet repulsam pati pertimescunt, & de re amata desperant, hacq; re molesta lacesciti, ex-candescunt, stomachantur, uti Adolescens Plautinus in Cystellariâ suo satis graphice descripsit exemplo. Exanimor, inqvies. distrahor, diripior, ita nullam mentem animi habeo, ubi sum, ibi non sum, ubi non sum, ibi est animus, jactor, crucior, stimulator, versor in amoris rota miser. An verò hic affectus Veteribus etiam fuerit cognitus, determinare nolo, cum lis sit de lanâ caprinâ, parumq; ægro & Medico conducibilis, arbitror tamen eundem iis occurrisse, licet non adeo atrocibus stipatum Symptomatibus.

### Caput III. Subjectum proponit.

§. I. Erotomaniæ genuinum reperire Subjectum primâ fronte non scrupulosa videtur meditatio, cùm aliàs facile illud in ægroto patefieri possit, si modō functiones læsæ illi parti propriæ diligenter observentur, in quibus naturaliter jam non amplius exerceri possunt. Verùm Philosophum Abderitam Democritum meritò hic imitari deberemus, qvi, ut iræ & Melancholiæ inveniret sedem, varia animalium corpora disseccuit, & inde Hippocratis edicto sapienter fecisse judicabatur, dum de sedis affectæ denominatione tot venduntur litigia, quot ferè hodie extiterunt Practici. Sunt enim singulares, qvi nullam determinatam in hoc malo affici existimant partem, ideo forsitan, qvia observarunt, nonnunquam in gravioribus, iisque Polypo scēpe mutabilioribus, Symptomatum exacerbationibus



396

egrotos non habere, de qua corporis parte specificè conque-  
rantur. Alii, quorum animos delectabilis varietatis perrepsit  
aviditas, varias elegerunt partes, & modò cordi modò Sangvini,  
modò Utero, modò Stomacho, modò alijs humani corporis par-  
ti ordinariam sedem, locum & focum adjudicarunt, siquidem  
earundem quoq; actiones æq; imò unam magis præ altera quan-  
doq; lædi, nemo sit, qui eat inficias.

§. 2. Antiqua gentilium superstitio singulas humani cor-  
poris partes singulos Deos obtinere existimavit, & amoris se-  
dem in oculis potissimum collocavit. Caput Jovi, Neptuno  
pectus, Marti frontem, Junoni supercilia, aurem Memoriae,  
Dextram Fidei, Dorsum & Posticas partes Plutoni, pedes Mer-  
curio, genua Misericordiae, talos plantasq; pedum Thetidi, di-  
gitos Minervæ, ubera, renes, & ingvina Veneri, oculos autem  
ejusdem Filio Cupidini consecrarunt, in quibus ceu speculâ  
quâdam excubet. Oculos enim dixere Veneris illices, & poten-  
tissimum ejusdem incitamentum, quorum fulgor & amabilis  
intuitus quodam quasi morfu vitalia populetur, & morficando  
medullas depascatur. Quo spectant versus illi Musæi: Fit via  
trans oculos, oculi figuntur ab ictu, Vulnus in alta virum sen-  
sim præcordia manat. Pulchritudo tamen celerius telo perfo-  
dit & per oculos in animum delabitur; oculus namq; via est a-  
matorio vulneri, inde etiam morficantes Apulejus vocavit.  
Cyrus abstinuisse dicitur ab aspectu elegantis foeminae, ne ca-  
deret. Corpus, inquit, latinæ eloquentiæ Princeps, Cicero in  
Offic. aptâ compositione membrorum movet oculos, & dele-  
ctat hoc ipso, quod inter se omnes partes quodam quasi le-  
pore consentiant, ut non omnimodè errare putentur, qui ducti  
his sententiis, Græcum ἑρωτα, dictum credant ἀπὸ τῆς ὀράσεως  
à visione, secundum tritum: ἐκ τῆς ὀράων γίνεται τὸ ἑρῶν; quo-  
niam visus sensuum sit præstantissimus. Vid. diss. Horst. de Amo-  
re. unde amor per oculos influere dicitur, quatenus aspectus  
amatae rei ardorem in animo amantis generat. Crescit enim  
assiduo spectando cura puellæ, & Propert: si nescis, oculi sunt in  
amore duces. Visus, & alloquium convictus, oscula, factum, uti  
Accusius §. 23. ad leg. Jul. dixit. Et hinc mirum non est, quosdam  
eò



597  
eò pervenisse, ut statuerint homines solo visu sæpe effascinari, non quidem omnium, sed eorum potissimum, quorum Spiritus ex impuro sanguine procreati emittantur, uti eruditè Langius ait, nec alienus ab hoc est Fracastorius ita explicans, quorum humores & Spiritus adeò à natura aliorum sint remoti, ut penè venena evadant. An nervi amatorii hic quid conferant, valde dubium est. De cætero legi possunt Jean Ludov. de la Corda Jesuita in comm. ad Virg. ec. 3 & Comm. in Panyrol.

§. 3. Sed quò prolapsus sum, dum amorem in homine, generaliter vel vulgariter loquendo, spectare adamavimus, nuncium mittimus, & hisce aliorumq; plurimorum sententiis relictis, unicam cum Galen. l. 17. de usu part. c. ult. Alexand. Massar. l. 1. prælect. c. 22. D. Rolfincio tract. de part. cap. aff. disp. 4. Schenkio, Sennerto l. 1. c. 13. & divo sene Hippocrate agnoscimus *specialem partem primario affectam, Cerebrum.* In omnibus, inquit Massarias, l. c. deliriis (ergo m. in Erotomania) afficitur cerebrum (modò secundum substantiam modò secundum Spiritus modò simul) & mali hujus sedes est perpetua, & Hippocrates περι τῆς ἰερῆς νόσου αἰτ. Καὶ τὸ τῶ φρονεῦμεν μάλιστ' αὐτῶ νοεῦμεν καὶ βλέπομεν καὶ ἀκούομεν καὶ γινώσκομεν τὰ τε ἀίχρα καὶ τὰ καλὰ τῶ δὲ αὐτῶ καὶ μαινόμεθα καὶ παραφρονεομεν. Hac parte, scilicet cerebro, sapimus, intelligimus, videmus, audimus, turpia & honesta cognoscimus, eam ipsam insaniamus & deliramus.

§. 4. Afficitur cerebrum plerumq; per ἰδιοπαθειαν. Nam pertinacia & diurnitas istius affectionis, quæ aliàs efficacissimis medicamentis, iisq; sæpius iteratis vix auferri potest, testatur, maxime à materiæ peccantis partem, & fomitem quasi mali in loco aliquo ἐνδοτέρω penitiorē, nobili & accomodo foveri, unde vel nunquam vel difficulter & magnā cum circumspectione removeri queat; qualem sane totam cerebri substantiam medullosam cum suis gyris esse oportet, ubi ex ipsius patientiā nimium læsā, vitio scilicet, vel ibidem generato, vel aliunde ipsi communicato, deliria suboriri cogitur, & furor postmodum omnium optimè solennia sua celebrat ἐρωτίδια.

§. 5. Noli hic, quod dicitur proverbio, oculos confingere.



gere cornicum, quasi priores nihil scisse videantur. Præterid enim, quòd à priscis, iisq; eruditis jam inde seculis, ejusmodi affectus inter mala cerebri, quod ipsis (penè dixerim Neotericis) regia quædam Palladis arx, in quâ totius animantis resideret regimen, audivit, non oscitanter fuerint crediti & relati, vel argumento maximo esse potest, de recte assignata parti affectæ Medici curatio, quippe quâ constat, vix meliori viâ abigi malum, quàm præmissis præmittendis, remediis Cephalicis, caput purgiis olim dictis, Spiritus animales, cerebrumq; alterantibus, Confortantibus, Specificis, uti iterum Sennertus l. 3. p. 2. c. 4. de cognoscendis locis affectis, & Schenkus loco supra citato pluribus affirmarunt. Ex quibus facile mentem nostram quivis intelligit, nos non de Subjecto Philosophicè & absolute spectato, sed Medicè, organice seu cum relatione ad organa, differere. Vid. l. 1. pract. Sennert. p. 2. c. 10. de amoris insani ex philtis curatione. Quorum tamen controversas ventilationes Syrraxidis disputationum forsitan, ponderabit prolixius modò æque modestius.

§. 6. Non tamen negandum est, quòd sæpè etiam per *συμπύρεσιν* afficiatur cerebrum affecto sanguine, affectis partibus in hypochondriis sitis, cum primis autem utero. Sic quando Massa sanguinea, ut mox dicetur, impura & Ærea est, simul afficitur cerebrum, quatenus à Corde eò propellitur, & cerebrum insomniis & variis amantum cogitationibus vexatur, aptum est redditum ad recipiendum. Unde vel propterea alii Cor quoque pro parte affectâ habent. Hujus rei exemplum refert Cornax l. 1. cap. 3. consult. medic: Assidebat, scribit, nobilis quidam (insanus præ amore) juvenis nobili & honesto cuidam fœminæ viduæ, cujus nuptias ambiebat. Hic in prandio ad mensam cum colloqueretur, ecce, vena in temporibus prope aures illi sponte aperta est, & profluxit copiosus sanguis. Ex quo patet, sanguinem in amantibus & ab amore insanis copiosum & fervidum ad cerebrum propelli, qui deinde causa sit Spirituum fervidorum.

§. 7. Quod Hypochondriaci præ aliis frequentius in insanum amorem incidant, quotidiana loquitur experientia. Non solum enim ex vitio lienis aliorumq; viscerum læditur sanguis, &



599.  
& animales Spiritus, sed & hypochondriaci constanter satis cogitationibus suis inhærent, unde facile idea quædam imprimatur Phantasiæ, quæ turbet eandem. Helmontius existimat Ideas maniacas unice in liene ejusq; Archeo habitare, non verò in cerebro, postea autem Archeum jura sua exercere in cor & cerebrum. Quod, ut in totum non approbamus, hoc tamen fateri cogimur, quod plerumq; causa remota in Liene & hypochondriis hospitetur, unde & vomitoria Maniacos optime curant.

§. 8. Quemadmodum & soepe ab utero & testibus ad cerebrum transmittitur, unde & *ὕσπερμανία* oritur. Novit Excell. Dominus D. Præses Nobilem quendam coelibem, à cujus testibus, vel potius vesicalis seminalibus, quando diutius retinetur semen, aura quædam ascendit versus ventriculum ipsamq; cerebrum, quæ concoctionem prorsus lædit, pervigilias excitat & totum corpus reddit torpidum & segnius, tristitiamq; inducit. Hujus phantasia si debilis esset, & amoribus vexaretur, facile propterea turbare poterit.

#### Caput IV. Causas recenset,

§. 1. Quàm necessaria causarum requiritur cognitio, tam difficilis in hoc præprimis affectu est earum investigatio. Modus enim generandi & natale solum, ut debite assignaretur, tot Veterum ac Neotericorum quorundam sunt ventilatæ sententiæ, quot in peruestigatione partis affectæ colligi potuerunt discrepantiæ, ut tamen nostram sententiam, salvis aliorum opinionibus, quid nobis de hoc nodo Gordio videatur, explicemus, præcedenti innixi Definitioni, statuimus peculiarem Spirituum animalium igneam quasi naturam induentium dispositionem.

§. 2. Si rem accuratioris judicii lance examinare conamur, veritati & rationi non multum videtur dissentaneum, animales Spiritus omnium subtilissimos puros & tenues, pro diversitate humorum, in M. S. contentorum, diversimode quoq; moveri, agirari, affici, turbari. Sangvine namq; Spirituum generationi dicato, scatente humore præco, corrupto, fixo, lento, turpi,



600.

turpi, illaudabili &c: Spiritus animales talem facile induere indolem sobrie philosophatur Sylvius. E contrario autem illô existente nimis mobili, *Slino*, *Otrofo*, *Areo*, inflammabili, & hos eidem assimilari, vi oppositorum quivis non iniqui; judicans præbebit assensum. Quid aliud volunt morbi humorales communiter dicti, qui pro natura humorum vitiosorum, in quibus figuntur satis superque; furiunt, & curatione methodica in nomine & numine divino suscepta, feliciter tolli possunt?

§. 3. Nec aliter in hoc affectu Spiritus animales se gerere degeneres, impuros, inflamatos, deturpatos, prioribus dextrè explicatis asserere perloquemur. Sanguis *δυσχερσία* Nitro sulphuream nactus, humoribusque; acerrimis, inflammabilibus ac veluti stygiis, uti Clariss. Willisius cap. de Mania vocare solet, & non tam quantitate quam qualitate peccantibus, adulteratus, tantum abest, ut laudabiles generet Spiritus, ut potius efferos, incitatos, elasticos, & quasi igneos reddat. Illi enim in cerebro, tanquam parte nobiliore, deflectente insuper à temperie naturali, collecti, vel aliunde sub *ἀναθυμίασις* & substantiæ spirituosæ *χέρι* apportati, rarefacti, Spiritus animales accendunt, ut hi, quo tenuior fuerit substantia, tanto ad agendum promptior est, *συμπερσία* naturalem & sphaeram activitatis suæ prætergredientes igneæ quasi evadant naturæ, hacque constitutione partes sensibiles & meninges cerebri irritent, species non nisi vitiosas depravatas phantasiæ repræsentent, pravamque imaginationem fortificent, quo factô intellectus impeditur, iudicium pervertitur, ratiocinatio turbatur, distrahitur, depravatur, ut non possit eligere quod salutare, aut fugere quod vitandum, sed cœcâ feratur cupidine atque libidine in appetendo, amando, habendo, quod antea averfabatur, & vice versa. Omnia in transversum rapiuntur ut nullus sensus amplius fere sibi constet, & caput sexcentorum aliàs Dominus seipsum gubernare nequeat, talisque homo ferinam plane induat naturam.

§. 4. Rem ita se habere testatur præter Hippocratem, Riverium Galen. de loc. aff. l. 3. c. 14. sæpius laudatus Sennertus lib. 1. pract. 2. c. 9. de Melancholia in genere & lib. Inst. 2. p. 3. Omnis, inquam, depravatio imaginationis & ratiocinationis ortum





tum habet à vitio Spirituum animalium, qui pravè dispositi simili modo phantasiæ offeruntur. Hinc Ilias & Lerna malorum Symptomatum, transmissi per nervos ad totum corpus stante pede properant, & variarum exacerbationum causæ existunt. Ad id mali non minimam præbent ansam concoctiones, digestiones, fermentationes, Sangvificatio, Chylificatio, suis officiis non ritè ceu decebat, in Venarum arteriarumq; humoribus attenuandis, depurandis, propellendis, perfungentes. Fomes etiam & minera hæreditaria esse potest, quæ vel in utero materno attrahitur, vel ex suctione lactis nutricum Venerearum hujusmodi pravis scatentium humoribus.

§. 5. Quemadmodum Spiritus animales propter Sangvinis *δυσχεροσία* sæpè læduntur, ita & læduntur à semine corrupto in viris æq; ac foeminis. Quanta enim corpori contingat mutatio à seminis in corpore præsentia, etiã in naturali constitutione, id norunt qui ex ephebis in pubertatem veniunt, & tam notabilis Evnuchorum status evincit. Inventis vasis Lymphaticis, quæ facilè in conspectum veniunt, quando discissò Scrotò vasa Pampiniformia ligentur ante testiculorum exsectionem, res facilè explicatur. Quando enim diutius retinetur semen in vesiculis seminalibus, ibidemq; corrumpitur & putrescit, tunc  $\Delta$  illud resolutum unà cum  $\Theta$ libus ferocientib; comiscetur Lymphæ, quæ totam M.S. postmodum turbat, &  $\Delta$ re suo Spiritus animales accendit.

§. 6. Peculiarem tamen diximus dispositionem, quâ aliam malignam venenatam & potentiolem adesse innuimus, quæ uti in plerisq; deliriis deprehenditur, ita hic se quoq; immiscet, & comprobat experientia Gravissimorum Medicorum, Galeni, Rolfincii, Deusingii, Sebizii, quibus longè sumus inferiores ut temerè ipsis ogganniamus. Vehementes quoq; actionum & symptomatum excessus, ingens incendium, nec tamen febrile, analogismus naturæ venenatorum agentium, & peculiarem vim maniam inducendi habentium, adhibita specifica, testantur.

§. 7. Chymicorum quidam hanc rem per Mercurium sublimatum, Spiritum vitæ inflammantem, explicare & determinare volunt, sed quomodo tot motuum varietates, durati-

C

ones,



602.  
ones, exacerbationes, excessus, recursus &c: extricent, ipsi videant Hermetici.

§. 8. Qui ulterius progrediuntur, & hoc malum à materiâ hæctenus depictâ dependere adhuc ambigunt, videntur ad aliud principium activum velle confugere, Archæum videlicet nervos dirigentem & præter naturam irritatum, qui sine Spirituum & Sangvinis ministerio tales sæpe in corpore excitet affectus. Quam tamen opinionem nostram non facimus, cum Medicorum sit, saltim in corporis animati affectiones inquirere, non vero in ipsam animam.

§. 9. Causas proximiores rectè excipiunt Remotiores, quæ in rerum naturalium numerum annumerantur, ubi Temperamentum Cholericum, interdum quoque Sangvineum sibi primum vendicant locum, quatenus accensionem Spirituum facilius juvant, & malum hoc promovent, quorum exempla Rolfincius, Timæus, Galenus, in libris suis adduxere. Accedit, dicit Paul Sorbait in Med. Univ. præcipuè naturis calidis hæc affectio, libidinosis, ætate vigente, & quæ in deliciis vivunt, & præter consuetudinem à Venere abstinent.

§. 10. Ætas juvenes frequenter accersit, ad res Venereas apprimè accommodabiles, hinc quoque est, quod inter morbos juveniles Gal. l. de aer. loc. & aqua c. 3. referatur, quamvis Senes cum Platero hujus mali immunes non faciamus. An verò fusci, nigricantes, biliosi, graciles & pilosi huic malo præ aliis sint obnoxii, Metoposcopis disceptandum relinqvamus.

§. 11. Naturalis partium constitutio & diathesis cogitata, si quicquam in aliis morbis conferre valet, in hoc affectu suum quoque adjicit symbolum. Vid. Petrus Nolol. Harm. l. i. Corall. 8.

§. 12. Circa sexum tandem non alienum esse arbitror investigare, quibusnam hominibus præsens accidat delirium. Autorum nonnulli hoc torqveri putarunt Viduas; hæ enim cum à congressu antea consveto abstineant, fit, ut semen intra uterum excretum, & diutius retentum, malignam qualitatem concipiat, eandemque Spiritibus communicet Gal. l. 6. de loc. aff. Impotentium uxores, quæ salaciores, & per medicamenta steriles



603.

les factæ sunt. Virgines adultas, & Moniales, ob vitam cœli-  
bem, si magis aliis castæ & pudicè esse volunt, semine tamen ad-  
tentiginem clitoris usq; abundant, & quibus philtra sunt pro-  
pinata. Verum æq; viris ista advenit passio, quoniam fœmi-  
nis plerumq; existunt calidiores, id quod in masculis bruto-  
rum, qui cum furia & impetu ad implendum coitum moven-  
tur, ad oculum patet. Videatur tract. Physicus de form. hom.  
in Utero celebris Sperlingii c. 1. quæst. 6. Idipsum quoq; in Me-  
dicorum Scholis unanimiter docetur, ut quò frigidiores sunt  
fœminæ, eò minus expleri voluptate, quo fit, ut in Venereâ illâ  
voluptate Viris magis perdurent. Quemadmodum etiam Vir,  
utpote muliere calidior, velocius motus habet, quorum causa  
ardentius & citius desideria sua terminat, ita mulier, ut est frigi-  
dior atq; ad multa tardior, sic in voluptate finienda frigidiuscu-  
lè se habet, & perdurat magis. Exemplo est Messalina ex Plinio  
l. 10. c. 36. inexpletæ libidinis fœmina, quæ nobilissimam è prosti-  
tutis, ancillam die ac noctè 25. concubitu superavit, & lassata  
Viris sed non satiata recessit, ad quod alluisse videtur Tiresias,  
qui arbiter ad decernendum electus, Jovisne an Junonis major  
esset in concubitu voluptas, sententiam tulit, viros ardentius, mu-  
lieres pertinacius amare atq; concumbere. Vid. Stat. lib. 10. Theb.

§. 13. Res non naturales observandæ veniunt, ubi aër,  
in quo versari necessum est, noxius habetur is, qui siccitatis & ca-  
liditatis justam transgreditur temperiem. Sic officinæ æstuo-  
sæ & balnea calidiora ejusmodi ægrotis, ibidem plus æquò per-  
cunctantibus, parum conducunt quæ aliàs variis foetidis, cras-  
sis, vitiosis particulis scatent, ubi Galen. com. 4. in 6. Epid. mo-  
net. In aère, inveniens, calido concluso, vel vaporario dormire,  
ne sanis, nedum ægris expedit. Et radii solares æstivi, diebus  
imprimis canicularibus quo Syrius corpora microcosmi nimio  
suo calore mordet, hic quoque accusantur. Amatus Lusitanus  
centur. l. cur 38. puellam refert insanam factam, quæ caput ad  
Solem lavasset. Autumnum tamen cum divino Sene §. 3. περὶ  
φύσις ἀνθρώπων non plane spernimus. Victus malæ coctio-  
nis, calidâ & siccâ qualitate, ordinariâ quantitate peccans, ut &  
vinum generosum, malum magis augent, quàm infringunt.  
Venter mero æstuans cito despumat in libidinem; sine Cerere &



609.  
Bacho friget Venus, quod eleganter explicat Erasmi, chil. 2. cent. 3. adducens illud Athenæi

Ἐν πλοημονῇ γὰρ κύπρις ἐὰν δέτοῖς κακῶς  
Περί τοῖσιν ἔκ ἐστὶν ἀφροδίτη βροτοῖς

i. e. Saturis Venus adest, cæterùm infelicibus miserisq; nulla adest Venus mortalibus. Uti autem corporis intempestiva quies vitiosis humoribus commodum persistendi offert pulvinar, ita immoderatus motus nullo non caret vitio. Somnus nimius excrementorum excretionem retardat, & excrementa cumulat. Hæc etiam, quantas in œconomia hominis turbas excitare soleant, si præter jus temporis & qualitatis fiant, menstruosis & à Venere diutius abstinentibus occultum non est. Exemplum nobilis cujusdam matronæ, propter retentionem seminis venerisq; desiderium Erotomaniacæ factæ Platerus l. 1. pr. c. 3. & Schenkius l. 1. obs. 4. refert. Sic de Virgine maniacâ ex eadem causâ laborante refert Dominicus Leoninus cap. de Maniâ. Ex suppressione hæmorrhoidum Zacut. Lusit. prax. admir. l. 1. obs. 51. Animi tandem pathemata ad hoc satis valida esse testatur ira, terrores, metus vel à visis spectris, rebusq; tremendis, mœror, tristitia, invidia, *ἡλοῦσῶν* & qui primo dicendus erat loco, amor, quæ mala non perpetrat? Hisce antea enumeratis levi aliâ accedente causâ calor & Spiritus animales inflammantur, turbantur, digestiones impediuntur, cruditates augentur, & corpus miserè affligitur, ut furor præ foribus sit. Sic Valerius Max. l. 5. c. 7. refert, quod Antiochus, Seleuci Regis filius, novercæ Stratonices infrunito amore correptus, ad ultimam rabiem fuerit redactus.

§. 14. Præter jam enumeratas etiam præternaturales incidunt causæ, quibus opitulantur alia deliriorum genera, aliiq; affectus præternaturales. Sic febres ardentes comodam huic malo porrigunt manum, quatenus per has sanguis, corpori nutriendo utilis, in venis & arteriis adeò corrumpitur, ut Spirituum animalium ingens oriatur incendium, quibus cerebri temperiem calidam & siccam suppetias ferre Forest. l. 10. obs. 27. dixit. Nec melioris monetæ habentur Epilepsia, Phrenitis, Melancholia, quorum exempla vide sis apud Gvilh. Fabr. Hildan, cent. 4.



cent. 4. obs. 9. Et quod ex Utero furor iste nonnunquam pro-  
rumpat, tam notum quam quod notissimum. Quoties etiam  
à Viris longo rerum usu & experiētiā exercitatis observatum  
est, fomitem hujus mali excitasse sterilitatem, seminis retentio-  
nem, imperfectam ordinarii lunaris tributi solutionem, Venena,  
& Philtra, quorum materias ob præcavenda quorundam Philo-  
captorum impium abusum hic omisimus. Vide tamen Forest.  
l. 4. obs. 27. Borell. cent. 1. obs. 63. Rolfinc. conf. med. conf. 8.  
Sennert. l. 1. pract. p. 11. c. x de amore ex philtris. & Greg. Horst.  
l. 2. obs. 28. aliorumque observationes rariores.

§. 14. Quod autem causa ubique absit supernaturalis,  
affirmare planè non possumus, funestæ enim Medicorum histo-  
riæ satis id ipsum affirmant, quæ non tantum immediatè sed et-  
iam mediatè per Sagas, Veneficas aliâq; Dæmonis mancipia, per-  
missu scilicet divino evenisse narrant, ut verè in istas tritum qua-  
dret Distichon. Non audet Stygius Pluto tentare, quod audet  
Effrœnis Monachus, plenaq; fraudis anus. Actiones illorum  
quæ non sunt naturales neq; animales, neq; hominis sed Diabo-  
li satis id ipsum evincunt. An verò impurus iste Spiritus ægro-  
torum humoribus atq; Spiritibus sese immisceat, & ita corpora  
divexet, & ad perpetranda nefanda scelera instiget & alliciat, ex-  
plicent alii Vid. Joh. Wierus l. 3. & 4. de lamiis. c. 9. Liceat ex  
Fernelio l. 2. de abd. rerum caus. nobilem illum juvenem in me-  
dium vocare, qui postquam convulsionibus laborasset durissi-  
mis, Medicorumq; pharmacis irritò successu bene excruciatu-  
s esset, Dæmonem tandem in veteris vocibus, lingvis, & Sardonio  
risu prodidit, quod sic astutè Medicos circumvenisset, ut corpus  
hoc frustraneis medicamentis penè jugulassent. Sed de eâ a-  
gere nec animus nobis est, nec instituti nostri ratio permittit.

§. 15. Circa causas hujus capitis incidit supra citatus  
Accusii versus; visus & alloquium, convictus, oscula, factum,  
qui monet, ut contrahamus hoc negotium & paucis modum to-  
tiusq; progressionis ordinem, qui nobis tenui ingenii acie asse-  
qui licuit, erudito Lectori sistamus hunc. Primum se nobis of-  
fert objectum, id ipsum objicitur sensui externo v. g. oculo per  
speciem, hæc species per nervos opticos, in eum implantatos,

C 3

& Spi-



& Spiritus in ipso contentos, sensui communi transmittitur, isthic cum apprehendit & dijudicat, phantasma vel idolum in phantasia exurgit, dumq; exemplar istud aliquantò diligentius examinat phantasia, elicit notitiam utilem vel inutilem, quam cognitionem assensio vel dissensio ( prout nempe objectum apprehensum apparet ) sequitur, hanc insequitur appetitus, postmodum appetiti persecutio. Hinc affectus, amor, tristitia, sollicitudo adjuncta ira, gaudium. Hæc pathemata movent potentias motrices naturales, quæ motæ variè movent vitiosos & corpore latentes humores. Hi afficiunt Spiritus animales, ut ab illâ depravatione & inquietudine incalescant & igneam quasi induant naturam. His præsentibus delirium adest.

### Caput V, de Differentiis agit.

§. 1. Ad differentias nunc properamus, in quorum enarratione, consuetæ satisfacturi methodo, quadruplicem earum classem annotabimus.

§. 2. Respectu Generis alia constituitur recens, alia inveterata, chronica, confirmata, hæctica, quibus aliæ ab aliis species referri solent, ut ὑδροφοβία fuga aquæ, seu abominatio liquidorum, ut & κυν-λυκ-γαλε-άνθρωπία quæ iis accidit, qui à cane vel lupo rabido aliisque animalibus iracundis demorsu fuere, & propterea canes, lupos, feles imitantur, noctu exiliunt è lectis, & ad diem usq; inter sepulchra diversantur, facie pallidâ, oculisq; arescentibus, & linguâ sitibundi, cruribusq; exulceratis, Chorea S. Viti, quo delirii generel, qui laborant, tanto saltandi desiderio feruntur, ut nullâ fermè interpositâ morâ dies noctesq; choreas ducere gestiant, usq; dum ad terram decidant. Tandem affectum hunc cum Melancholiâ quandam habere affinitatem Schenk. art. 4. de Sympt. sens. Inter. asserit. Hoc enim qui detinentur nunc læti nunc tristes incedunt, prout spe aut gaudio potiundi re amatâ tenentur, vel planè desperant.

§. 3. Causarum autem ratione totuplex ea esse potest, quotuplices ipsæ existunt causæ atq; humores, in iisq; latentia semina, à quibus exasperationem sibi attrahit. Naturalis est, quæ communiter externam, qualis sunt philtora, venena &c: & inter-



internam agnoscit. Supernaturalis autē ex Dæmonum præstigiis atq; incantationibus ultrò se manifestat. Hæreditaria illa est, quando malum à parentibus statim in ægrotum fuit transplantatum.

§. 4. Subjecti ratione satis congruam æstimamus, quæ per essentiam seu *ιδιοπάθειαν* & quæ per *δευτεροπάθειαν* seu aliarum partium consensum constituitur.

§. 5. Temporis postremò respectu alia *εν αρχη* incipiens, alia *εν αυξησει* augetur, *εν ακμη* florens & *παρακμη* remittens est, alia lenis quæ per Symptomatum tractabilitatem facilius compesci potest, alia periodica seu per intervalla irruens, alia continua sine intermissione agens, quæ neque precariis persuasionibus, minis vel plagis demulceri potest, & hæc plerunq; ægrotum usq; ad mortem concomitatur.

## Caput VI. Signa producit Diagnostica.

§. 1. Ne clausis oculis Andabatarum more pugnemus à differentiis ad Signa progressum facimus, quæ *τῶ ἀδήλα δηλοτικά* & universæ Medicinæ fulcrum à Galeno de cons. arh. c. 15. nominantur. Imminentis mali signa habentur mutatio morum in deterius, dolores capitis continui, vigiliæ pertinaces, dispnoea, somnus turbulentus, insomnia, tinnitus aurium, risus, tristitia, terrores, curæ, taciturnitas meditabunda, oculorum lusus, frequentes ad Venerem iracundiamq; stimuli, nocturnæ pollutiones &c: Bernh. Gord. p. 211. posuit *ἀνορεξίαν*, totum corpus maceratur, & habent profundas cogitationes cum suspiriis luctuosis, & si audiunt cantilenas de separatione amoris flere incipiunt tristariqve, si de conjunctione, ridere incipiunt atqve concinere.

§. 2. Præsentis autem signa sunt, quando solitarii atqve tristes existunt cum oculorum jactatione, levitate & faciei rubore, videnturq; omninò concuti. Pulsus mutantur, teste Galeno, dum rerum Venerearum aliqua sit mentio, præsertim ad aspectum ejusmodi pulchræ formæ, quam sibi impressere, temporis verò progressu, patientes fiunt impatientes, rixantur, lachrymantur, aliquando effusissimè rident, inordinatum sermo-

nem



nem texunt, idq; unâ vice magis quàm alterâ. Hic enim affectus suas quoq; habet exacerbationes, & dum lucida sunt intervalla, resipiscere videntur, sed accedente iterum paroxysmo, affectuq; ad statum tendente, turpia apertissimè loquuntur, sique mares sunt, foeminas, sin foeminæ, mares accedentes ad obscœna invitant.

§. 3. Alii Practicorum apponunt delirium absq; febre, aspectum horrendum, horrenda narrant, vestes dilaniant, capillos evellunt, effringunt carceres, calcitrant pedibus, verberant manibus, ungvibus, pugnis, morsu corpora propinqua lædunt, sibiq; ipsis pariter ac aliis obviis manus inferre tentant violentas. Alii Specialiter hoc annotare volunt, quod hi primum quidem audaces, confidentes & temerarii sint, deinde ad prodigium usq; validi, ac robusti, postmodum indefessi, & nunquam fere delassati, tandem etiam quod absq; sensibili noxâ multa perferant adversa.

§. 5. Signa denique sunt vel propria vel communia, illa sunt, ubi calor essentialiter inhærens secundum motum qualitatēq; consideratus sine febre existit, distinguiturque hâc ratione à Phrenitide. 2. causæ præternaturales & non naturales si præcesserint, ultro mali conditionem ostendent 3. Signa exhibitæ philti ex vehementissimis Symptomatibus apparebunt, ubi etiam, juxta Hippocratem, adstantes sunt audiendî, si nimirum similem quis viderit affectum, & hunc talem pronunciato.

§. 6. Communia ultimò adjungere signa convenit, suntq; quæ in aliis deliriis quoque reperiuntur, ut sunt depravatio rationis, Spirituum animalium impuritas, accensio, furor &c. Plura apud Avicenn., l. 3. tract. 4. c. 23. & apud Christ. à Vega l. 3. art. med. s. 1. c. 17.

## Caput VII. Prognostica Signa affert.

§. 1. Morbo sistere Prognosticon non plane est nullius Difficultatis, cum Hippocrates apertè scribat §. 2. aph. 19. τῶν ὀξείων νοσημάτων ἡ πάντων ἀσφαλές αἰ προαγορεύσεις ἕτε τῆς υἱείης, ἢ τῆς θανάτου. Et quoniam hoc Medici auctoritatem defendit, artisq; gloriam conservat, ut vel lætam vel tristem affectus



609.  
affectus expectes catastrophem, divinus senex temerarias Audaculis disvadere voluit prædictiones, interdum obtestationibus factas, cum eventus prædictionibus, ob subitas mutationes aliaq; contingant, non semper respondeat. Nos, quò tutius procedamus, morbos considerabimus, quatenus vel minus lethales, vel dubii, vel deniq; necessariò lethales judicantur. Hunc ergo affectum medio inferendum loco pronunciamus.

§. 2. Periculo quod non careat, partes testantur nobiles, cerebrum, cor, imò ipse sanguis, corporis nostri Lar, quæ, pro quantum! à statu naturali recedunt, nec tamen ideo simpliciter existunt lethifera, nisi æger vel sibi ipsi manus cruentas inferat, vel nimio motu vires minuatur, vel fame pereat miserimè.

§. 3. Hinc ratione salutis cum ad Genus respicimus, quod de malo incipiente meliorem curationis spem suscipere permittit, quàm de habituali, confirmato & inveterato; tum ad Subjectum, quod affectum reddit mitiorem, quando partes nobiliores, ut cerebrum &c. non per idiopathiam quandam laborent, sed per consensum. Gravior est, in quo jam per essentiam cerebrum agrotat, quàm per consensum, & quò sæpius redeunt Paroxysmi, eò semper deterius est, quò autem tardius eò melius. Quò nobiliores etiam partes sunt, eò majus periculum in recessu habent. Pejor quoque est affectus, si vitiosus, peculiarisq; quidam humor, vel philtum cum tota M. S. mixtum, restagner. Malitia etiam complexionis calidæ augmenta lucratur ab ipso sanguine. Pessimum autem malum est illud, quando dispositio vel intemperies accedit congenita atque hæreditaria. Hujus cura maximè difficilis habetur, & naturalia vitia pleraque insanabilia.

§. 4. Ratione durationis  $\chi\rho\nu\nu\nu\kappa\omicron\varsigma$  fieri potest, si in primâ herbâ non statim extirpetur malum, sæpe etiam longissimus esse solet, si vita accedat malè morata, quæ brutales insultus ceu igniculos in animo excitet, causamque contumacem blande quasi foveat, nec locum salutaribus monitis relinqvat, ubi totius vitæ individuus comes esse perhibetur, & tribunal Veritatis subsequitur certissimum,  $\alpha\upsilon\gamma\upsilon\tau\eta\iota$  &  $\alpha\delta\epsilon\lambda\epsilon\gamma\iota\omega\upsilon\varsigma$ . Inmendabilis immedicabilis.

D

§. 5. Ra-



620.

§. 5. Ratione eventus ejusdemq; modi facilior est, quando crises, non extra moderaminis orbitam contingunt, & cum *εὐφορίᾳ* accedunt, dum benigniorem morbum, mitigationem ac levamen ejus pollicentur. Superatâ causâ morbificâ, vel medicamentis per vias ordinarias expulsâ, affectum ad salutem terminatum legimus. Sin immoderata fiant, prosternuntur vires, materia peccans indies incrementa capit, novaq; accessio Symptomatum cum malitiâ conspirantium mortem appropinquantem annunciat, ubi tamen mulieres & senes judicantur desperatiores. Optatum signum est, quando corpus de die in diem magis reficitur, nec ad dicta vel objecta Venerea amplius turbatur, sed in sexu seqviori menstruorum purgatio supervenit. Viris autem hæmorrhoides sponte aperiuntur, alvus fluit, & viæ urinariæ non amplius sunt obstructæ.

### Caput VIII. Methodum medendi pertractat.

§. 1. Præternavigatis scopulis circa Definitionem, Subjectum, Causas, Differentias & Signa quæ ad *θεωρίαν* seu *φυσιολογίαν* hujus affectus videbantur spectare, nihil restat amplius, quàm ut ad methodum medendi progrediamur, præsentisq; affectus *θεραπεύειαν* subjiciamus. Ne autem, quod Aristoteles, graviter quondam succumbens, Medico suo injunxisse dicitur, Ne me, inqviens, cures, ut bubulcum aut fossorem, parvi pendamus, Cæsalpini verba nobis in aurem dicta putabimus. Qui curationem aggreditur, sciat corpus humanum, circa quod versatur esse nobilissimum, adeoq; magnâ cum circumspectione pertractandum. Qui enim experimenta per mortes facit, is parum turò atque jucundò, citò quidem, si sat bene jucundè medetur. Ut itaque cura nostra rite succedat, Indicationis triga, præsidiorumque materies facem nobis præferat accensam, cujus vestigia, veluti statuas Mercuriales merito observamus, usque dum ad sanitatem, tanquam exoptatum scopum, perveniamus.

§. 2. "Ενδειξις curatoria in Paroxismo morbum Symptomataque, per contraria *κατὰ ἐννοιαν, δύναμιν, καὶ δῶσιν, ἔκλεισθησιν καὶ φαντασίαν* imminuenda svadet, & humores quomodocunq;





docunque peccent corrigendos jubet, vapores ad caput tenden-  
tes inhiuantur, peculiarisque materia, quæ morbo fomitem  
præbet, fervidamque in Spiritibus excitet dispositionem relegetur  
protinus.

§. 3. Præservatoria extra paroxysmum curatoria associanda venit, quorum utraq; rebus opponitur præternaturalibus, novumque humorum affluxum prohibet, sique malignitas quædam accedat, alexipharmacis removeri debet, sed caveas velim ab immodicâ ὑπερωτικῶν καὶ ἀνωδύνων usurpatione.

§. 4. Vitalis denique præsentis considerat vires, & adhuc integras conservandas, amissas reparandas docet, reliquisq; visceribus compassibilibus, per alimenta medicamentosa & medicamenta alimentosa, auxiliatrices manus præbere præcipit, ne plenis velis in morborum mare dejiciatur æger, è quo rari emersti, in quo multi submersi sunt. Circumspectus Medicus videat potius, ut naturam habeat cooperantem. Hæc cessante omnia remedia perperam & sine ullo exhibentur successu.

§. 5. His itaque indicationibus satisfaciemus, quando auxiliorum apparatus ex triplicis generis fonte χειρουργικῶν videlicet φαρμακευτικῶν καὶ Διαίτητικῶν depromimus, de quibus in sequentibus capitibus agere nostrum postulat institutum.

## Caput IX. exhibet Chirurgica præsidia.

§. 1. Dum ad arma Chirurgorum manus convocamus, Præceptorem amoris, Ovidium ita dissvadentem percipimus. Omnes humanos sanat medicina dolores, solus amor morbi non amat artificem, & alibi. Non ullis amor est medicabilis herbis. Imprudentiæ igitur poenas incurremus merito, nisi prius nodum hunc solverimus, quin imò totum nostrum agere late-rem lavare erit, cum ægri non verbis sed herbis præprimis divitem exoptent Medicum. Verum sibi ipsi contradicens respondeat Naso, qui libros de remediis atque curatione amoris posteritati reliquit lectu jucundos. Ne tamen nostram de hoc asserto ἐπίκρισιν taceamus, sensus videtur affectus amoris statum, habitum, difficultatem ac desperationem respexisse, minus autem principium atque tractabilitatem. Tolle enim quæ no-



602.  
va sunt, serò medicina paratur. Ad hæc in totâ rerum naturâ  
semper bona malis non tantum opposita, sed etiam valentiora,  
reperiuntur. Et quicquid Medicus non valet, illud sanè ipsi Me-  
dicinæ minimè omnium attribui debet.

§. 2. Agedùm! quid obstat? quò minus Chirurgorum ac-  
cedamus armarium, ex eodemque tela atque auxilia deproma-  
mus, quibus multi corporis humani morbi non postremùm,  
debellantur atque propelluntur, & inde quia licet, liber admi-  
nistraciones quasdam contemplari, atque præsentì applicare af-  
fectui, Principium facientes de Sangvinis Misfione.

§. 3. Licet humores, qui in primis viis peccent, per V. S.  
in vasa communia trahi, graviaque non raro excitare statuuntur  
Symptomata; Verum uti perpetuum Medicorum monitum,  
nec temere nec timide, agere injungit, ita & hic omnia sapienti  
consilio atque prudentia moderanda sunt, ne scilicet corpus  
quoddam cachecticum, quod per artem Infusoriam, Sangvinis  
potius immisionem juxta quosdam, (parum enim salutis ex  
chirurgiâ infusoriâ sperari potest, vel ad minimum non est in-  
usu;) quàm emissionem postulat, debilitetur amplius, ubi au-  
tem plethora adest cum *κακοχυμία*, ad viscerum naturalium ob-  
structionem, & multa alia mala præcavenda V. S. nullus desve-  
debit sagax. Præprimis quando affectus ortum a philtro trahit,  
cujus materiam vasa adhuc celent sangvinaria.

§. 4. Arteriotomia non nocet, si modo deligatio accu-  
rata institui potest ob intractabilitatem ægri, licet in Germania  
non adeò sit in usu. Eligenda vasa majora hic sunt præ minori-  
bus, cum evacuatio paulo largior, respectu aliorum morborum,  
esse debeat.

§. 5. Tempus verò quod V. S. sibi requirit, judicatur  
initium, ubi tamen electioni necessitas nil derogat, cum pro-  
crasstinatio in Medicina juxta Hippocratem animæ sit pericu-  
lum. Hinc non Planetarum aspectus benignos expectabimus,  
multò minus in naturæ Crisin differre auxilia Chirurgica sem-  
per est consultum.

§. 6. Quantitatem vires ægroti, regio, ætas atque consue-  
tudo



tudo Medicum docebunt. Consideratis bene circumstantiis,  
quid faciendum, quidve omittendum, apparebit ultro.

623

§. 7. Nec Venarum electionem diu meditabimur, modo illa aperiatur, quæ refer. Hoffm. l. 2. c. 106. & prominentior & minus periculi habet propter vicinos nervos, aut subjacentes tendines, siquidem unam eandemque matrem, truncum scilicet Venæ cavæ, agnoscant. Metuendum aliàs esset, ne dum deliberrant Romani, hostes capiant Saguntum. Medianam tamen aut Cephalicam secare hic non erit in conveniens.

§. 8. Hippocrates lib. de aëre aq. & loc. tradidit V. S. post aures Scytas frequentasse, ex quo evirati & effœminati evadabant. Sane arteriarum scissione, quæ post aures sunt, homines ad generandum impotentes reddi, Francisc. Vales l. 2. controv. med. cap. 7. vel inde putavit, quod cerebrum imbecille reddatur, privatum influxu Spirituum Vitalium, unde nec mirum si ignavi reddantur, & impotentes ad coitus labores sustinendos atq; satis vehementes edendos motus. Solere enim eò tempore cerebrum vehementer laborare. Aut vero, inquit, fortasse, cum venis præscindebatur nervulus quidam, quem Andreas Vesalius se vidisse dicit in multis à 6 nervorum cerebri conjugatione descendere in testes, & vasa seminaria. In quâ sententiâ jam antea quoq; fuisse videtur Joh. Langius, dum prolifici seminis potioem partem à cerebro & Spinali medulla, per venas & arterias temporum ac lumborum ad seminaria vasa defluere, scripsit. Indicio esse, inquit, quod coeuntes in spermatis effusione oculis nictent, & quod coitu cerebrum exsiccetur, atq; morbi producantur varii, uti citatus Autor lib. 1. Epist. 10. l. 2. ep. 7. pluribus probat.

§. 8. Modum tandem circa V. S. observare convenit. Si enim ager sit dicto audiens, verborum popismis, admonitionibus aut persuasionibus haud indiget, sin contumax, immorigerus, & adhuc sub ferulâ, svadet B. Gordon. de pass. cap. p. II. ut curatio asinina instituat, frequenter & fortiter flagelletur, donec incipiat fœtere. Si & hæc ægroti mores non redigant in ordinem vinculis lecto alligetur. Non autem ex ferro fabri-

facta



*624.*  
facta volumus, sed ex corio, panno, linteis, ne Medico aliisque  
adstantibus, vel sibi ipsis damnum inferat reluctando.

§. 9. Hirudinibus quoque depravatio Sanguinis potest  
imminui. Quamvis enim pauci molesta hæc Sangvi sugarum  
oscula admittant, prælidium illud, suo relinquentes loco, non  
omni privabimus encomio, de quibus pariter annotare du-  
ximus, ut cum cucurbitulis parti, cui præsent, impositæ appli-  
centur. Nam dum digito tenentur, dicit. P. sorbait. p. 679.  
evadere conantur, & sic facile cum magno ægrotorum timore  
impositæ, intestinum rectum, naribus vero applicatæ, fauces ir-  
reperere possunt. Quod si contingat, illico aqua tepida multum,  
falsa injiciatur parti, & sine ullo periculo exhibunt.

§. 10. Cucurbitulæ, si è re esse videntur, affigi possunt, præ-  
sertim ubi consuetudo id consvadeat, cui multum tribuendum;  
absq; scarificatione unam cervici apponi liceat, quæ per longi-  
tudinem spinæ dorsæ ad nates usque aliquoties deducatur.

§. 11. Scarificatio V. S. vicarias fermè partes impendere  
videtur, communiter enim per has Sanguinis efficitur derivatio,  
evacuatio atque revulsio.

§. 12. Vesicatoria, Fonticuli, Cauteria convenientibus in  
locis aptè instituta, nisi intolerantia ægroti recalcitret, consi-  
lium in hoc non planè erit nullum. Contrariantur intempe-  
rici, & quod capiti molestum sit evasurum, corrigit atque abdu-  
cit. Quibusdam ægris hæc remedia apparent crudelia, unde  
his quandoque saltem terreri possunt.

§. 13. Frictiones egregiam locabunt operam, quoniam  
pro discutiendis vaporibus & exhalationibus per apertionem  
pororum in usum trahuntur. Pro Medici tamen scopo ad ægro-  
ti conditionem gubernanda sunt omnia.

§. 14. Ligaturarum usum circa regionem frontis in  
dolore capitis Excell. Rolf. l. 2. diff. anal. c. 22. taxat. Quotidie,  
inquiens, videmus vulgum in ea esse opinione, quod in gravio-  
ribus capitis doloribus futuræ distrahantur, unde, medelam do-  
lori quærentes, vinculo jubent adstringi frontem. Sed valida  
saltim constrictio illud efficit per accidens, quatenus videlicet  
sensus



sensus intercipit & vasa comprimit, ne materia peccans in tantâ  
copiâ illabi queat.

§. 15. Seraceum in nuchâ, quâ operatione cervix acu  
compungitur, vulnusq; filo apertum servatur ad debellandam  
Symptomatum urgentium ferociam, ut per id humor fluens  
evacuetur, magni æstimatur usus,

§. 16. Trepanatio vitiosos humores exhalare facit, &  
inde non omni caret laude, in nostris tamen regionibus vix est  
in usu. Horum autem remediorum peragendi modum qui sci-  
re efflagitat, adeat Practicos, aliosque Chirurgiæ Doctores non  
incelebres ut Paræum l. 18. cap. 27. & l. 23. c. 32.

§. 17. Novum deniq; in Chirurgiâ, & inauditum in hac  
arte Doctis non est, instituere castrationem. Vid. Riverius in obs.  
com. Samuel Form. obs. 32. & Platerus l. 1. c. 3. Hac ratione  
enim caliditas, virilitas, animiqve ferocia facilè compescitur. Li-  
cet autem cura hæc ancipitis plena sit periculi, & non nisi fru-  
stra tentatis remediis consuetis & tutioribus tentari debeat in  
maniacis desperatis, tamen juxta Hippocr. §. 1. aph. 6. *ἔσ δὲ ἀι-  
χάτα νοσήματα αἰ εἰχάται θελαπῶναι ἐς ἀνεσίβιν κερτίται.*  
Summis morbis summæ exquisitæ curationes sunt optimæ. Ca-  
stratio olim fuit interdicta, sive quod ea adversus publicam utili-  
tatem, quæ in suscipiendis liberis versatur, sit, sive, quia paucis-  
simi hæc affecti sanentur plenariè.

## Caput X. Pharmaceutica proponit remedia.

§. 1. Apud nos raro quis, inquit Scholzius in Proœmio  
ad l. 3. consil. & Epist. Craton. initiò statim Medicos consulit,  
quin potius omnia prius anicularum, agyrtarum, Empyrico-  
rum atque vulgi experitur remedia, ac cum nulla fermè vel exi-  
gua spes vitæ amplius reliqua est, tum demum Medicorum o-  
pem implorat, sibiq; amissam valetudinem restitui cupit. Quod-  
si nullus spei fructus ex eventu sequatur, sæpè immerenti offer-  
tur injuria, cum potius in morbi vehementiam, remediorum vi-  
res superantem, culpa sit rejicienda. Tales ὑπέροφοι suam dif-  
fidentiam in Medicos legitimè promotos (tenacitatem sileo ob-  
denegata Medicorum sestra) seu sorices produnt, quasi medi-  
camenta



676

camenta Magisterialia absq; eorum denegato usu arida penitus evasura sint & cadaverosa. Nos potius Pharmacia animo sollicito commendamus atqve pertractamus, utpote quæ in justâ humorum peccantium alteratione, educatione, virium viscerumque corroboratione est occupata.

§. 2. Uti autem in hoc affectu semper eò dirigendus est oculus, an æger operationes Medicas admittere velit, ita quoque circa præsidia pharmaceutica id ipsum observare convenit.

§. 3. Si itaq; corpus sit cacochymicum, Lenientia & Præparantia Purgantibus præmittere placet ut: e. g.

℞. Cassiâ extr. ℥ß.  
Rhabarb. ʒß.  
Cremor ꝑr ʒij.  
Sach. q. s. F. bolus S. Purgter. Zucker

℞. pulp. pass. decoct. Folior.  
Senn. extr. ℥iiij.  
CrySTALL. ꝑri ʒiv.  
Rhab. elect. subt. incis. ʒiiij.  
Agaric. trochis. ʒij. ʃ citri  
Cinam. gt. iij  
Syrup. Viol. solutiv. F. Electu-  
arium S. Laxier Latwerge 4.  
Messerspiz auff 1. mahl

§. 4. Per os assumpta Purgantia porro pro necessitate rei esse possunt.

℞. Rad. helenii: cichorei aa ʒß. Rhabarb. Alex. ʒij fibras  
Helleb. nigri ʒj. fol. sen. fl. ʒß agaric. trochisc. ʒß Passu-  
lar. min. ʒiiij cremor. ꝑr ʒj coq; in s. q. ∇æ simpl. Cola-  
turæ ℞. ʒiiij adde mannæ in morsulis ʒß M.D. in fict. S.  
Purgter Träncklein auff 3. mahl.

§. 5. Per inferius Clysteres quoq; applicari solent, eam ob causam talem formavimus formulam.

℞. Rad. althææ, lilior alb. aa ʒß herb. parietar. malv. mer-  
curial. a m. 1. ʒ Sem. foen. græc. ʒvj pruno. dulc: ficuum  
pingvium a. n. VI coque in s. q. ∇æ s. ℞. Colaturæ lib. 1.  
ʃ lilior alb. chomomill. a ʒß. Conf. hamech. ʒvj ʃ is  
gemmæ ʒj vitell. ov. n. 1. M. F. l. a. clyster.

§. 6. Quando pillulis delectetur æger, easque malit, se-  
quens formula preparari poterit. Quantum autem possibile  
est,





est, studeamus medicamenta in hoc affectu componantur liqui-  
da, quoniam sicca ægrè aut planè non deglutiunt, nisi habeant  
conueniens quoddam vehiculum, parumque profunt sicca, quia  
serum iam dum deficit, & Medici in Siccioribus humectantibus  
plus efficiunt.

℞. MP. catholic. ʒj resin. scammon. extr. hell. nigr. à ʒß, tro-  
chisc. Alhand. gr. IV. ʃ anisi gutt. II. M. F. l. a. pillulæ  
pro duabus dosibus.

In decoctis prunis, vel uvis passis sine granulis, vel ovo sorbili,  
vel pomo Borstorffiano assato assumi possunt, prout optimum  
cuiq; videtur.

§. 7. Balani, Glandes & Suppositoria ægris suam non de-  
negabunt medelam. Materiam eorum qui scire inhiat, Dn. D.  
Sennert. Inst. maiores amabò adeat, ubi pro diverso usu, diver-  
sas quoq; inueniet formulas.

§. 8. Necessum plane videtur Vomitoriis qq. uti, cum  
imprimis philti modò accepti subsit suspicio, ita tamen, ut sem-  
per consuetudinis rationem habeamus. Hoc enim ventricu-  
lum evacuat, & si fortius sit, vicina quoq; viscera, imò venas ma-  
jores liberat ab humorum peccantium saburrâ. Sequentia ex-  
emplò sint.

℞. Croci Metall. gr. VI. infunde per noctem in Vini albi ʒiß  
mane adde colaturæ ∇æ cinamom. ʒj juleb. rosar. ʒß  
M. F. haustus S. Brechtrancf.

℞. Fri emetici gr. iii ʒ diaphoret. ʒß. M. F. pulvis S. Brech-  
pulver auff einmahl.

℞. Olib. ʒi ʒß magist. g. g. gr. ii M. F. pulvis S. ut supra  
isti pulveres in liqore quodam v. g. jusculo pulli carnis  
vel cerevisia, aut saltem aqvâ tepidâ exhiberi possunt.

§. 9. Non sine insigni alio relicto commodo scæpe folis  
errhinis & sternutamentis quorundam alvus deponitur.

℞. Flor. lilior. convalliū ʒi, Spicæ, Anthos, Lavendulæ, fibr. el-  
leb. nigri, herb. majoranæ à ʒß. Sem. Coriandr. nigri ʒj ʃ  
Majoranæ gt. V. M. F. pulvis S. Wohlriehendes Niese und  
Haupt-Pulver einer halben Messer-Spizen groß bisweilen  
zugebrauchen.

E

Potest



628.  
Potest etiam pars hujus pulveris in Syndone conclusa, ▽ virtutis vel apoplectica imbui, verticique imponi.

§. 10. Omnium horum medicamentorum dosis & usus pro ratione & circumstantiis ægroti, ætate, temperamento, viribus augeri atque diminui poterit.

§. 11. Properamus ad Diaphoretica seu Sudorifera, quæ in hoc casu, cum furor inducias dat, talia esse queunt.

℞. ▽ Sambuci Scorzonera Cardened. aa ℥j Elect. Diascord. Fracastor. ℥j ♂ diaphoret. ℥j Sirup. corallor. ℥℥ M. F. haustus S. Schwitzträncklein auff 1. mahl.

℞. Pulv. bezoard. Sennert. ℥ii ♂ is cachect. aa ℥℥ ♂ is volatil. Succini gr. iij Laudan. opiat. gr. i. M. F. Pulv. D. in Charta S. Schwitz-Pulver auff 1. mahl.

℞. Tinct. bezoard. Mich. ℥iij ♂ us ♂ ci ℥i. Laudani liquidi ℥℥ M. D. in Vitro S. 50. Tropffen auff 1. mahl.

In ipso sudandi actu, inquit Horstius epist. anal. p. 25. cautela opus est, ne officiosa nimis defensio corporis ab injuria æris, exitialis fiat offensio.

§. 12. Diuretica hic non obliteranda veniunt, quatenus in humores stagnantes agunt, crassos incidunt, & per arterias emulgentes in renes, postea autem ad exitum disponunt, quales sunt radices s. aperientes, aquæ ex herbis Lythontripticis destillata, acidula, thermæ, Spiritus aperitivus Penoti. Spiritus Oli, ♂, ♂ etc: quorum formulis paginas implere nil refert.

§. 13. Nimiam quoque Sangvinis effervescentiam alterantia coercent atque Præcipitantia, ubi tamen semper ad corroborationem cerebri & cordis habendus est respectus, quo natura malum hoc vel omnimodè vincere, vel illatam molestiam & injuriam facilius ad optatum scopum perferre possit.

℞. ▽ Serpilli: Origani aa ℥j Epileptic. Lang. Apoplectic. Nimman. aa ℥℥ Succu citri ℥ij Essentia flor. anagallid. hyperic: Tinct. flor. 4. cordial. aa ℥ij Dæ Tinct. ℥℥ Sirup. fl. tunic. ℥℥ M. F. potio, cujus dosis est cochlear. i vel ii.

℞. Conserv. flor. anth. lilior. convall. beton. nymph. aa ℥℥ N. M. in Ind. condit. ℥ij confect. alkerm. complet. ℥iv. Species Diambri, Diamoschi. d. De gemmis frigidis aa ℥℥ Spe.



Specific. cephal. Mich. ʒj Sirup. corall. q. s. M. f. l. a. Ele-  
ctuarium D. in fictili S. Haupt Jarwerge einer Welschen-  
Nußgroß auff 1. mahl.

R. Sem. Pœoniæ ʒiij agni cast. Cannab. aa ʒij Sem. 4. frigid.  
major. â ʒß amygd. d. ʒj ∇æ beton: lilior. convallii: cera-  
for. nigror. aa q. s. rosar. epil. Lang. â ʒj M. f. l. a. Emul-  
sio, adde colaturæ pulveris epil. Marchionis ʒij Sachar.  
perl. parum M. D. in fictili. S. Hauptstärckende Milch.

R. ∇æ acetosæ acetosell. flor. papav. pœoniæ flor. til. â ʒj  
Mus Oli cephal. Elixir cephalic: Rolfinc. aa ʒj Magiste-  
rium Corall. ʒß. Sirup. de beton. parum. M. f. l. a. potio.  
D. in fictili S. Trancß auff etliche mahl.

R. Cranii humani ppt. ocul. ʒ aa ʒij Cinnab. nativ. ʒß laud.  
opiat. gr. ii M. f. l. a. pulv. auff 2. mahl.

R. Pulv. Bezoard Senn ʒj Secund. human. ppt. ʒß. M. F.  
pulvis auff 1. mahl.

R. margarit. perlar. ppt. trochiscor. de carabe pulv. epilept.  
Marchion. aa ʒj. Smaragd ppt. gr. VI. M. F. l. a. pulv. S.  
ut supra.

Illa quoque porriges, quæ semen jam genitum ob insitam &  
latentem vim extingvunt, ceusunt semen Viticis, Cannabis  
Rutæ. Imprimis Nymphaea commendatur, alii succos & Con-  
servas Citri ac Limonum cum modico Camphoræ vel Sachari  
hni exhibent. Idem facit pulvis vel succus foliorum salicis.

S. 14. Et quæ ab Autoribus hinc inde inter specifica com-  
mendantur, non sunt negligenda, quorum præprimis efficacia  
non in superstitione quadam anili, sed in sæpius approbato per  
eruditos usu, consistit, ut sunt Helleborata præparata, quæ  
humectantibus misceri debent. Secundinam pulverisatam  
multi multum juvare gloriantur, cuinos hypericon præferi-  
mus, quod non solum Diureticum, sed etiam in ipso morbo  
Dæmonio Virgineo, ut vocat Hoffm. in Clav. Ph. p. 487. laudatur  
& commendatur in forma Essentiæ vel Decocti propinatum.  
Ejus virtutem antidæmoniacam in obsessio quodam ante annos  
aliquot sic, inquit, exploravi. Vascula duo, Keuterlingio plena  
porrexi, horum alterutrum, cui essentia florum Hyperici gutta-



520.

tim esset instillata, ita averfatus fuit, ut ne aspicere quidem, ne-  
dum gustare potuerit, mitram summitatibus hyperici intersu-  
tam illico dilaceravit &c:

§. 15. Qui Ideas admittunt, eò laborant, ut impressæ  
Ideæ deleantur, quò ipsò putant tolli affectum. Utuntur au-  
tem præcipue Specificis jam nominatis, cum primis medica-  
mentis Cinnaberinis. Alii laudant communem illam Tin-  
cturam D, quæ sæpius Maniacos restituit. Et perinde est, u-  
trum Lunæ vel Sori tribuendus sit effectus, modò sequatur.  
Quæ medicamenta nos non improbamus, dum & nostris indi-  
cationibus favent, quatenus Lympham movent, & Spiritus sty-  
gios corrigunt. Aliàs & ipsi svademus, ut omnis moveatur o-  
pera, ut illæ impressiones Phantasiæ tollantur, & amor, ran-  
quam causa, radicitus extirpetur, quòcunq; id fieri poterit mo-  
dò. Id quod tamen commode fieri non potest, nisi prius cau-  
sa materialis fuerit remota.

§. 16. Cœterum quando vel hypochondria vel uterus vel  
testes in causa sunt, eò, ut dirigatur curatio, necesse est. Quo-  
rum affectuum naturam hic tractare animus non est. Vide-  
antur Practici.

§. 17. Inter topica externa non immerito Epithemata, bal-  
nea, lotiones assumendas æquum duximus, e.g.

℞. Species Cordial. temperat. Pulv. cortic. citri aa ℥ij Croci  
oriental. aa ℥ss. F. sacculus imbuendus sequenti ∇â & sic  
humidus applicandus.

℞. ∇ Flor. aurant. borragin. rosarū fragr. aa ℥ij Nymphaeæ, Car-  
bunculi. Cord. Saxon. aa ℥j Spirit. Ros. Opt. Cerasor. nigr.  
aa ℥j M. D. ad Vitrum S. Cusserlich Puls und Herzwasser.

℞. Herb. Malvæ, bismalvæ, beccabungæ, fragariæ, parietari-  
æ aa Mij Flor. melilothi, nymphaeæ, anagallid. hyperi-  
con. chamomill. aa. m. r. radic. liliorum alborum, altheæ  
aa. ℥j Incis. D. ad chartam S. Kräuter zum warmen Bade.

℞. flor. Melissæ, fol. cum floribus hypericon. aa pii, Salviæ  
Majoranæ, Basiliconis aa pii, florum pœoniæ, liliorum  
convall. anthos p. ff. F. l. a. pulvis, pro Cucuphâ D. ad  
Chartam S. Kräuter zum Haupt müßlein.

Renes sequenti linimento inungi possunt

Recep.





R. unguentum refriger. Galeni, Populei aa ℥ij Camphoræ  
℥ij M.F. linimentum S. *Seiten Sälblein*/ licet linimentis  
non adeo fidendum sit, cum oleosa potius calefaciant.

§. 18. Pessaria, sacculi, Emplastra, olea beneficio mini-  
strarum honestarum applicari poterunt; Horum præscripti-  
ones desiderantem mittimus ad Autores Practicos, toto horreo  
has ad metientes, ubi ipsi consulentur.

§. 19. Plumbum in formam laminis ductum, pluribus forami-  
nulis pervium, circa regionem renalem gestare, refrigerii loco u-  
surpari potest. Quidam discerptas columbas vertici imponunt,  
adhuc calentes sanguine, loco specifici, alii corallii lapides, un-  
gulas, dentes, aliaq; laudant, ut Grisolithū auro inclusum & ge-  
statum phantasticos Spiritus depellere, Cardanus inquit. Topa-  
sius atq; Sardonius motus venereos compescere scribitur. Nos  
parum fidei collocamus in isthac, quoniam externe adhibita vel  
à collo pendentia, vix ac ne vix quidem à calore nostro dissolvi  
observatum sit.

§. 20. Consideratè tamen agendum in applicatione topi-  
corum, eò potissimum loco ponere convenit, ubi vires suas ci-  
tius & efficacius exferere possunt, semper tamen tam in hume-  
ctantium quàm refrigerantium usu, Medicum oportet esse per-  
spicacem; Id quod assequetur feliciter, si temperatè calefacien-  
tes herbas cum humectantibus admiscebit, nec semper actu fri-  
gida, sed interdum tepida adhibebit.

§. 21. Cum in majori versentur periculo, qui in Paro-  
xysmo sunt constituti, quàm qui extra eundem sunt, ideò Præ-  
servationem ultimo annectimus verbulo. Consuetas medicinas  
Vere & Autumno non intermittat. V.S. æquinoctiis sed medi-  
camenta diebus intervallis frequentet, omnia conspirent in  
morbi ruinam atq; interitum; Cum primis autem præservatio  
est dirigenda ad partes affectas, ut præ caveatur, ne causa ibidem  
generetur denuo, quæ in flammam postmodum iterum abeat.  
Huc itaq; referenda sunt ea, quæ præcedente §. 16. diximus. Uti-  
mur autem lubentissimè eo tempore nodulis, & majori quidem  
cum effectu, quàm in ipso paroxysmo.

E 3

Rec.



672.  
R. Rad. helenii, gentianæ, polipod. à zij Rhab. zijj Fibr.  
Elleb. nigr. 3j fol. Sennæ s. s. 3ß cochlear. summit. fuma-  
riæ aa M; Agarici trochisc. 3ß Sem. Foeniculi 5j passular.  
min. 3v Cinam. 5ij Cremor. Fri 3j M. concis. & contus.  
gr. m. D, in charta S. Species zum Experimenten Kräuter  
Wein.

## Caput XI. Diætam annectit.

§. 1. Cum Diæta instituti nostri colophonem desideret, lubentissime imponimus. Ea autem maxime consistit in sex rerum non naturalium iusto, eoq; triplici regimine, Vitali, nempe, Naturali atq; Animali.

§. 2. In Vitali Aër, sine quo vix momentum superesse, possumus, caliditati & siccitati è diametro contrarietur. Nuditatem pedum Aristot. § 4. c. 5. commendat, quippè dum corpus frigore torpet, torpet & ipsa Venus, quod accidit, dum pedes nudi algent. Vid. Lang. epist. med. l. 2. c. 9. Pavimenta conspergantur aceto cum aquâ Rosarum, Violarum, Nymphææ &c: Non parum quoq; confert inspersio aquæ frigida, s. projectio florum & herbarum viridium svaveolentium, frigiditatem & humiditatem inducentium.

§. 3. In Naturali Viçtus ratio sit tenuis, præsertim primis diebus omnisq; vitetur repletio cibi potusq;. Observetur quoq; ejusdem quantitas, qualitas, tempus, ordo atq; consuetudo. Cibi sint facilis concoctionis atq; digestionis, & vel incidentes vel attenuantes, vel istis pauxillum conditi. Multa enim aromata, salsa, acria, dulcia, pingvia, putredini obnoxia, caput ferientia, facilè bilefcentia, & quæ cum aceto præparata sunt, patienti plus nocent quam profunt. Vitentur carnes fumo induratae & esca animalium seniorum, quæq; succum generant crassum atq; viscosum, pro ut vires, morbi constitutio & prænotio futurorum docet. Cibus non ingerendus, antequam prior concoctus sit. Frustra etiam laborant, qui medicamenta iis svadent, quibus helluando dies noctesq; consumere pulchrum est. Panis bene fermentatus & coctus convenit. Cibos *luxuriosos* non usurpari debere, permittat mihi P. Sorbaët, ut dubitem, nisi de intem-



intempestivo eorundem usu intelligat, ut minima seminis quan-  
titas de novo generetur, & quod jam genitum est, per medica-  
menta, ad id facientia, paulatim absumatur, siquidem κακόχυ-  
μοι cibi eâdem facilitate seminis & Sangvinis abundantiam  
augere possunt, licet non ita laudabilem, & πᾶν τὸ πολὺ, πολέ-  
μιον. ἢ φύσει, inquit divus Senex.

§. 4. Inter Veneris amuleta non immerito referimus  
bulborum, præcipuè Megericorum, abstinentiam. Cæterum A-  
pilius nucleos pineos, & semen erucæ cum pipere, Martialis et-  
iam saturejam addit, fugere jubet. Sapienter etiam a Salis u-  
su crebriore sibi cavebit, quisquis Veneream illam molestiam vi-  
tare gestit, propter stimulum videlicet, quo nervos irritat, libi-  
dinemque facilius promovet.

§. 5. Potus sit cerevisia clara, probe defœcata, nec variis  
pulveribus, ut quarundam vetularum fert mos, recocta atq; e-  
mendata neq; ab antiquitate acetosa, nec nimium lupulata,  
quæ vim habeat blande movendi alvum, ubi tamen consuetu-  
dinis ratio semper est habenda. Sic quando æger aquæ potui est  
advetus, eligenda pura, potest cum hordeo, acetosa, endivia,  
taraxaco cocta exhiberi, pro lubitu. Vinum in hoc affectu parca  
administretur manu, tenue tamen, & quod pro non abundat  
admittendum, quod cum  $\nabla$  borraginis buglosf. vel  $\sigma$ u  $\oplus$  li  
Etc: sit medicatum. Ὀλιγοπόρον τῶ οἴνωδε longe hic præ-  
ferendum, hujus haustum tam inter prandendum, quam cœ-  
nandum sumere potest, nunquam autem eò utatur ante vel post  
mensam, nec in tantâ quantitate, ut inebrietur. sed in tali quæ  
lætificet, curasq; tollat.

Ulus lactis congruo tempore laudatur. Diatha Pythagorica,  
regiâ Cyri autoritate nobilitata, hic etiam quibusdam placuit.  
Sic Ætius serm. 2. cap. 32. inediâ per 3 dies imperatâ quendam  
curasse scribit. Et sine Cerere & Bacho friget Venus.

§ 6. In Excretis & retentis non minima habenda cura, alvq;  
retineatur laxa, si fuerit stricta, glande, enemate, aut alio laxa-  
tivo naturæ ad expulsionem stimulus addendus venit. Urina  
quoq; ne subsistat, aptis remediis adjuvetur. In sexu seqviori  
menstruorum evacuatio ritè succedat, nec impediatur. Quâ  
negatâ.



624.  
negata, caput misere affigitur. Hic cum B. D. Sennerto l. 7. prax. part. ac §. 2. c. 3. perversum, dicente, non possumus non detestari morem, qui apud feminas inolevit, cum scilicet tempore hyberno incensos carbones ad frigus arcendum ventri inferiori subdunt, quorum calore uterus exurit & incalescit, menstrua exsiccantur, unde plurima exoriuntur incommoda.

§. 7. Venus in lactuca & Ruta, quæ ob id Pythagoricis dicta fuit Plin. l. 16. hist. nat. c. 9. quod segnes & inhabiles ad Veneris usum reddat, sepeliatur. Prioris enim vis narcotica humorem furibundum compescit, alterius autem calor eundem absumit. Conveniunt omnia, quæ voluptatem extinguunt, ut Emulsionem ex semine Cannabis, Agni Casti, Melonum &c: item juscula refrigerantia, mentha & cineres intestinorum Gallinæ Rondol. l. 3. method. cur. morb. c. 37. laudantur.

§. 8. In Animali tandem regimine animi pathemata exactissime moderentur, ut sicuti in omnibus rebus, docente divino Sene aph. 87. §. 11. ita in his nimius evitetur excessus. Exulet ira, furor, tristitia, aliæque commotiones graviores, minus appetitui sensuum, quam rationi obtemperet æger, occasionem vitet, temperantiæ studeat, Musica delectetur, otium fugiat. Lepidum liceat illud, quod ex Luciano in Cupidine G. Horstius de natura amoris refert, huc transferre, ubi Venus in Cupidinem filium graviter invehit, quod jaculis omnes Deos affecisset, præter Minervam, Dianam atque Musas, At, respondit filius, Mi dilecta mater, parerem lubentissime, sed Minerva sua gravitate me abigit, Diana in sylvis feras conficit, quam cursu assequi non valeo, Musæ vero honestissimis occupationibus tempus transigunt, meisque monitis minime vacant.

§. 9. Somnus moderatus, paulo tamen longior, qui coitioni atque virium restorationi inserviat, convenit. Vigiliæ absint atque lucubrationes. Salutari quoque cum fructu libri atque picturæ veneræ amoveantur ex eo conclavi, in quo decumbit æger, ne per sensum oculorum mens agitetur, uti Chereæ Terentiano accidisse legitur, qui cum solus esset, cum solâ ad facinus illud perpetrandum Jovis pictura, imbrem aureum



reum in gremium Danaes immittentis, & consimilem lufum ludentis, incitabatur,

625.  
§. 10. Motus & quies mediocres præstant, fiantq; in loco temperato, & si rationi non sit obediens æger, ab aliquo viro quem timeat, ad moneatur. Supinus ægrorum decubitus plane noxius est & fugiendus. Capilli si multi sint, & caput gravent tondendi.

Quâ occasione adstantibus fiducia sinceritatem commendamus, quam in peritum Medicum collocare debet patiens, siquidem hæc non parum ponderis, teste ipsâ experientiâ, felici affert curationi Galen. 1. Pron.

§. 11. De cætero, si mulier aut Virgo absq; conscientia nævo viro jungi possit, ut omnis illicitæ Veneris occasio & ἐξουσι-  
εργυμοὶ vitentur, igniq; fomes subtrahatur, omnium Medicorum suffragio præsentaneum & svavissimum est remedium Viri consortium, venerusq; amplexus, ut si Veneri litare velit, is virum se præstet. vid. Sylv. comm. de mens. mul. c. 4. Verum dum nubere omnibus vel non libet, vel non licet, aliis præsidii, utpote tenuiore victu opus est, ut quàm minima feminis quantitas generetur, malumq; citius absumatur. Actuar. tom. 2. l. 4. m. c. 8. Alex. Veron. l. 1. c. 28. de muliere quâdã ex longinquâ suppressione mensium furibundã annotavit, quod postquam per totam noctem à quindecim viris Veneri strenue fuerat defatigata, fluxum mensium nacta sit longissimum, & non sine magno pudore pristinae valetudini restituta sana evaserit.

§. 13. Si vero nullus remediis naturalibus locus in veniatur, & prostratio virium subsecuturam mortem minetur, illud restare videtur, ut ad ultimum Miserorum asylum properemus, ac DEI OPTIMI, ægrorum in re conclamata desperatisq; morbis Archiatri, clementissimæ voluntati commendemus patientem. Monet quidem Hippocrates & Galenus, ut ægrum dato Prognostico relinqvamus, quod autem intelligendum est, non quoad partem diæticam, sed pharmaceuticam, quæ fortiora καθάρτικα præscribit, vel forsan ideò, ne infamentur præsidia, quæ multis fuere salutis, neve Medicus videatur eum occidisse, quem mors ipsa peremit.

F

Paul.




826.

Paul. Sorbait in quaest. 25. de method. med. spem dubiam meliorem esse desperatione cum Celso existimans, ait, Maximum est, hominem omni auxilio privatum & desolatum relinquare, praecipue cum non raro vel rupta phlegmone, vel ob latentem causam, vel permutato medicamine, vel ultimo naturae conatu aegrum a morte liberari & revocari contingat. Sunt, pergit, quidam omni adeo Christianam charitate nudi, ut noviter ad valde infirmos vocati, eos adire renuant, qui pessime faciunt, accedant itaque, omnique modo animae cum DEO procurent reconciliationem.

§. 14. Hisce finibus, & si mendas aut σφάλματα, de quibus non dubito, reperis B. L. ea modeste & absque calumnia, (nullam enim in nostro scripto invenies) corrige, laboremque hunc qualemcumque aequi bonique consule. Quod superest, Deo Optimo Maximo pro concessa gratia, quam nostris conatibus hactenus favere & adesse voluit, perpetuas persolvimus laudes. Ille porro nostris studiis clementissimè benedicat, ut omnia vergant in Nominis & Numinis divini gloriam & Proximi salutem atque valetudinem :

Μόνω τῷ Θεῷ δόξα.





627





628.






153154

X2615746

R

1017









585

Auspice Christo.  
*Nobilissima atq; Gratosissima*  
FACULTATIS MEDICÆ  
DECRETO  
DISPUTATIONEM INAUGURALEM,  
**EROTOMANIÆ**

*Sen*  
AMORIS INSANI.  
THEORIAM & PRAXIN

pertractantem,  
SUB PRÆSIDIO  
*VIRI NOBILISSIMI AMPLISSIMI atq; EXPERIENTISSIMI*  
**DNI. JEREMIÆ LOSSII,**

Phil. & Med. D., ut & Anatom. & Botan. Prof. Publ.  
in hac Academia longè celeberrimi, Medici Pro-  
vincialis felicissimi,

*Domini, Patroni, ac Præceptoris sui submissè devenerandi,  
æternumq; sanctè amandi,*

PRO  
**LICENTIA**  
assumendi Doctoratus Gradum & Privilegia Medica  
Publicæ Medicorum censuræ submittit

**M. THEODORUS KUNADUS,**  
GRIMMENSIS.

IN AUDITORIO MAJORI,  
Horis ante & pomeridianis,

*Ad diem Maji Anno MDC LXXXI.*

WITTEBERGÆ, Literis JOHANNIS SIGISMUNDI Ziegenbeins.

